IN NOMINE DOMINI AMEN.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

EX

LOGICA, ONTOLOGIA & ÆTIOLOGIA

In Significationem Gratulatorii Applausus & Venerationis perpetuæ

REVERENDISSIMO DOMINO D.

SEBASTIANO GVIRAUDO

KWIATKOWSKI.

Canonicorum Regularium Lateranensium per Minorem Poloniam & M. D. Lithvaniæ

NEOELECTO PRÆPOSITO COADJUTORI GENERALI

PROTECTORI AMPLISSIMO

Ipso die Inaugurationis suæ

Publico Disputationis actu

A Studio Philosophico Cracoviensi.

CONSECRATA.

CRACOVIÆ Typis Universitatis.

DEDICATIO.

Si quid unquam Orbi Laterano Supremi DEI Beneficio datum collatumq; fuit, unde Nobis meritò atq; jure gaudendum eſſe videretur illud ſanè accidit die hodierna, qua viro omni laude omniq; virtutis genere adornato, non mediocri etiam rerum cognitione, ſed incredibili Sapientiâ inſtructo, ſummum in Congregatione Noſtra GENERALIS gradum unanimi Patrum conſenſu delatum eſſe videmus. Nam cùm ita naturâ ipſâ comparati ſumus, ut in rebus proſperis & ad voluntatem noſtram fluentibus omnes majorem in modum gaudeamus, tum in iis præſertim quas ad Religionem conſervandam, ſimulac Cultum rerum Divinarum augendum ſpectare intelligimus, non modò quisq; Sapientiſſimus, ſed & omnis ferè hominum multitudo lætatur. Illud enim cunctis gentibus perſvaſum eſſe, haud dubitandum, neminem unquam ſinè adſpirante Divino favore, magni & præſtantis viri laudem habere poſſe, tum verò magis; eos non caſu aut fortuito, at DEI Ipſius Voluntate ac Providentiâ eligi ſolere quos Sacerrimæ Religionis rebus præeſſe oporteret. Atq; hoc ſanè prudenti hominum conſiliò fieri haud rarò eſt putandum, quòd cum excellentis virtutis cuiquam viro, ſacrarum rerum demandatur cura, tanta omnium mentes voluptate implentur, ut eam & voce & geſtu, feſtis etiam acclamationibus explicare non ſinant. Quodſi hujuſcemodi exprimendæ lætitiæ conſvetudo, apud omnes fere nationes obſervari ſolet, non eſt profectò mirandum, cur universa etiam noſtrum Laterana Congregatio plurimùm exinde hilaritatis concipiat? quòd optatiſſimam GENERALIS Electionẽ proſperrimè ſucceſiſſe videt. Cum enim perſpectum exploratumq, habeamus tantò eſſe nobiliores ſpectatu Reſpublicas quantò à morum Diſciplina, ingenii præſtantia, meritorumq; copia Præfectos ſibi viros numerant commendatiores; tum verò iſtud ipſis etiam Religioſis Ordinibus exornandis proprium eſſe ac omnino accomodatum quem fugit? Itaq; ſi confe-

A　　rendo-

rendorum munerum & officiorum ratio, ad publicam gentium existimationem ac decus imprimis facit, nemo profectò nostrum non intelligit, quantùm collata Præstantissimo Huic Viro GENERALIS Dignitas in Congregationem Lateranam ornamenti refundat ac vel ideo; singuli Hunc Virum quasi Cœlitùs demissum, ad Lateranensis Nostræ Familiæ gloriam ac præsidium veneramur. Is enim in Nostrum GENERALEM creatus est, Qui planè ad tuendam ac ampliandam Religionem natus, perquam optimè novit & Cultus Divini Majestatem augere & Christianam Pietatem conservare, illud porro quod DEO & Hominibus charum rectumq; videtur quantùm vires facultasq; permittunt promovere. Is inquam GENERALIS nostri Gradum consecutus est, Cujus incredibilis morum suavitas, tam adeò miro fœdere cum summa gravitate conjuncta est, ut neutra sese destruat, sed utraq; in id conspiret: quò ambæ fiant illustriores & majori admiratione colantur. Cujus porrò singularis rebus in agendis Prudentia communi Lateranæ nostrùm Congregationis bono probatissima hodiedum in nostra vivit memoria. Vivit scilicet vivetq; per longissima Annorum spatia, quantùm ille labore suo, quantùm Fide insigni consiliò ac solertiâ, rebus cùm publicis tum privatis Congregationis Lateranæ profuerit. Porrò ut ratio tota gaudii nostri haud multis verbis declaretur; Ille est concordibus suffragiis in GENERALEM nostrum assumptus, Quem omnibus votis omnes exoptabant Quem omnes mirifica animorum conspiratione atq; consensu exposcebant, Quem demùm optimus quisq; maximè cupiebat. Quapropter, si juxta ac precabamur, faustè feliciterq; rem evenisse accepimus, quo tandem vultu nos esse oportet? quo lætitiæ sensu redundare? Ingenuè fateamur est necesse, animos nostros devinctissimos Tibi Neoelecte GENERALIS REVERENDISSIME tanta ex hac Tui Electione perfusos esse voluptate, ut nisi eam hoc in gratulationis officio extra prorumpere sineremus, intùs ferre conclusam præ amplitudine jucunditatis nullo pactò possemus. O Beatum itaq; Electione TUA Nobis effectum diem hodiernum, quò anxiè expetitam debiti TIBI officii nostri persolvendi opportunitatem nacti sumus. O Nos fortunatos! qui desideriorùm dulcem consecuti quietem, non jam proinde lætamur, sed propemodum triumphamus. Idq; si non ex oris gestientis habitu, non ex festis acclamationibus ita perspiciis, ratione tamen ipsa quin TIBI persvasissimum fiat minimè dubitamus. Propterea; quòd tot tantæq; animi dotes in TE Virum undiq; præstantem & illustrem sint congestæ, ut nemo præsentiat, à TE in tam præclara Religiosi Honoris statione collocato, non modò summam Lateranæ Nostrum Congregationi gloriam, verùm etiam & incredibile Studiis nostris præsidium accessurum. Atq; hoc est speciale laudis TUÆ argumentum ac perinde nostri etiam gaudii motivum, cæteris longè urgentiùs, quòd amplissimis declarari verbis libenter vellemus, nisi nos singularis TUÆ Modestiæ respectus (quâ nimirùm laudanda potiùs agere quàm laudari mavis) silentii hac in parte moneret. Quam

etsi

etsi tamen, ita sis moderatus omnisq; elogii impatiens, præstare nihilominus minimè potes, quin laudatissima integerrimæ vitæ TUÆ institutio, quin compositi ad omnem honestatem mores, quin ardentissima in DEUM Divosq; Pietas, quin exacta Religiosæ Disciplinæ Observantia, haud vulgaris sed solida beneq; fundata eruditio TUA non communi omnium voce commendentur ac celebrentur. Hæc itaq; Spectatissima TUI ornamenta, cæteraq; innumera merita, quæ TE gravibus in Congregatione Nostra Laterana perfunctum officiis, nunc ad supremam Ejus præfecturæ Dignitatem provexere, cum nos tacendo præterimus, tùm verò theses istas in signum gaudii Nostri ex Electione TUA concepti, simulac debitæ TIBI à Nobis gratulationis Nomini TUO solennius dedicamus, vel hoc uno studiorum Nostrorum fructu æternum Filialis in TE affectus Nostri monumentum, seræ posteritati relinquentes. Suscipe ergo pergrato animo, exile istiusmodi à Nobis munus, quòd profectò si pretium ejus pendis, exiguum est, at si Venerationis ac Amoris affectum hoc TIBI offerentium ponderas: non est certè exiguum. Nos verò singuli bona TUA valetudine (quam desuper & longissimam & prosperrimis auctam successibus intimè TIBI exoptamus) talem semper Voluntatem in TE Nostram referemus, quæ efficiat ab uno quoq; luculenter cognosci nos perpetuo amantissimos TUI esse Clientes.

Studium Philosophicum Cracoviense.

CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ.

Ex Logica.

I.

Logica à græco vocabulo *Logos* quod ſermonem ſignificat derivata, ipſa vi nominis facultas ea eſt, quæ humanam mentem ad verum inveſtigandum demonſtrandumq; dirigit.

II.

Cum verò rationalem potentiam (quæ ob limites quibus circumdatur in vero cognoſcendo errare poteſt) in ſuis operationibus moderetur, opusq; rectè formandum intendat, ars activa vocatur non immeritò, prout autem præcepta quæ tradit, certis & evidentibus principiis declarat, ſtabilitq; Scientiæ nomen ſibi vendicat. Et licèt ſit ars ſimul & Scientia nihil tamen obeſt, quominùs facultas purè practica cenſeatur.

III.

Objectum materiale Logicæ neq; eſſe Intellectum, neq res omnes, neq; voces, ſed ipſas operationes Intellectus eſſe dicimus. Formale verò eſt rectitudo earum paſſiva.

IV.

Jam mentis ut intelligentis operationes tres non niſi ſunt, ſcilicet; ſimplex rerum perceptio, Judicium & diſcurſus. Methodus enim quæ à nonnullis pro quarta mentis operatione aſſignatur nobis indiſtincta à tribus prænominatis videtur.

V.

Simplicem rerum perceptionem ſive complexa ſit, ſive incom-

complexa, ſicut poſſe eſſe veram aſſerimus ita falſitati ob-noxiam haud poſſe eſſe propugnamus.

VI.

Eſſentias rerum univerſales quas in ideis, ſub Lunæ concavo ſtatuebat Plato utpotè Sacroſanctæ Fidei, & ipſi rationi contrarias rejicimus. Admittimus tamen naturas univerſales intra ſua ſingularia conceptibus & vocibus univerſalibus correſpondentes. Porro unitas convenientiæ ſeu ſimilitudinis ſufficit ad univerſale metaphyſicum formaliter tale, si iſtud accipiatur in ſenſu ſtricto & rigoroſo, ad univerſale tamen metaphyſicū in ſenſu latiori ſumptum, præter unitatem convenientiæ etiam unitas rationis requiri videtur. Jam quod attinet universale logicum, hoc in actuali prædicatione dictum indefinitè de ſubjecto minùs latepatente retinet ſuam univerſalitatem non ſolùm ex parte objecti ſed etiam quo ad modum ſignificandi.

VII.

Propoſitionem cùm Ariſtotele optimè definiri poſſe putamus, quòd ſit oratio in qua unum de alio affirmando aut negando enuntiatur. Quæ si ita enuntiet, ſicut se habet objectum eſt vera, si autem aliter se habeat objectum ac ipſa enuntiat falſam eſſe eſt neceſſe. Atq; hinc inferimus veritatem formalem propoſitionum, non ſolùm in ipſo actu, ſed etiam in ita se habentia objecti conſiſtere.

VIII

Porro propoſitiones de futuris contingentibus liberis habent in se determinatam veritatem vel falſitatem. Unde ex duabus propoſitionibus contradictoriis de futuro contingente una determinatè eſt vera altera falsa.

IX.

De propoſitionibus contingentibus aliquas, ſicut de veris in falſas, ita & de falſis in veras mutari poſſe aſſerimus.

X.

Etſi verò ob infirmitatem mentis noſtræ multarum rerum igno-

ignorantiam profiteamur, nihilominus dari aliquarum rerum Scientias contra Scepticos, easq; non esse puras reminiscentias sed de novo acquisitas contra Platonicos propugnamus.

XI.

Ut autem Scientia Philosophica stricte talis habeatur, requiritur omnino certitudo & evidentia metaphysica. Ad Scientiam verò imperfectam seu merè prudentialem sufficit sola certitudo moralis, non tamen physica nisi sit conjuncta cum morali de carentia virtutis superioris in oppositum.

XII.

In quæstione illa utrum scilicet in eodem Intellectu & de eodem objecto Scientia simul & opinio stare possint habita notitia Scientiæ & opinionis dicimus; nullam apparere repugnantiam quominùs Scientia opinioni de eodem objecto in eodem Intellectu sociari possint.

XIII.

Cum verò Intellectus non possit assentiri falso clarè & evidenter cognito ut tali, est enim potentia necessaria quæ habitis omnibus ad agendum requisitis necessario agere debet, neq; etiam possit uni eidemq; veritati assentiri simul & non assentiri ob manifestam repugnantiam, patet; Intellectum concessis præmissis non solùm certis & evidentibus, sed etiam probabilibus necessitari ad conclusionem inferendam & quidem tam necessitate contrarietatis quàm condictionis.

Ex Ontologia.

XIV.

Ontologia est Scientia, qua pertractatur, quidquid rebus omnibus generatim convenit, in ea igitur maximè generales notiones & prima Scientiarum principia tradi & debent & solent. Nomine autem principii hoc loco intelligitur veritas, ex qua in notitiam veritatum ignotarum pervenimus. Ex omnibus verò hujusmodi principiis, duo sunt ita communia,

munia, ut veritates philosophicæ omnes aut immediatè aut mediatè ex iis fluant, ac ultimò ad ea revocentur. Alterum est principium contradictionis sic efferri solitum: Impossibile est ut idem sit simul & non sit. Alterum principium rationis sufficientis hoc effato contentum: nihil est sine ratione sufficienti. Utrumq; cùm rebus necessariis tum contingentibus servit. Principium contradictionis tamen primum est, quo priùs nec est aliud, nec esse potest, ac proinde universale indemonstrabile ac fons omnis certitudinis.

XV.

Ultra possibilitatem activam creaturarum, admitti debet possibilitas passiva earum consistens in ipsis prædicatis rei summè intimis, sive in essentia rei ipsius. Quæ prædicata seu essentiæ rerum creatarum, necessariæ, æternæ, & ut ajunt ingenerabiles, ac incorruptibiles sunt, à suisq; non distinguntur nisi per rationem existentiis.

XVI.

Quidquid verò enti ita inest, ut à nullo priore intrinsecus dependeat, illud essentiale enti vocamus, è contra nihil eorum, quæ à priori de ente demonstrari possunt enti est essentiale, solent tamen hujusmodi dici vel modi vel proprietates entis.

XVII.

Nihilum est, cui nulla notio respondet, cùm igitur impossibilia & negationes sint nihil, nulla impossibilium & negationum notio datur, ac proinde à nullo Intellectu in seipsis cognosci possunt.

XVIII.

Identitatis natura tam clara est omnibus, ut vix clariori verborum expressione exprimi possit. Hinc meritò Sanctus Augustinus *id ipsum quomodo explicabo nisi per id ipsum, quidquid aliud dixero non dicam id ipsum.* Jam opposita identitati distinctio est in re exclusio unius ab alio. Porro distinctio adæquata & inadæquata est attributum essentiale & non superadditum rei distinctæ, datur utraq; totumq; distingvitur realiter inadæquatè à sua parte & vicissim pars à suo toto.

XIX.

XIX.

Jam inter prædicata realiter adequatè identificata sola datur distinctio rationis, non datur verò Scotistica formalis ex natura rei, neq; Thomistica virtualis sive intrinseca sive extrinseca.

XX.

Cum verò Intellectus possit unum instar plurium repræsentare, intacta manente in se objecti unitate hinc præcisiones formales infundatæ distinctioni rationis ratiocinatæ dantur. Objectivæ verò contradictionem involvunt.

XXI.

Omne Ens quodcunq; existentiam habet, singulare sit & individuum est necesse.

XXII.

Totum est idem cum omnibus suis partibus simul sumptis, & omnes simul sumptæ partes sunt idem cum toto. Est autem pars tale totius requisitum sinè quo non potest de reliquis requisitis simul sumptis prædicari sive in recto affirmari ratio seu definitio totius.

XXIII.

Denominationes extrinsecæ dantur, & consistunt in subjecto & forma extrinseca moraliter illi unita vel illud intentionaliter respiciente. Ut verò detur nova denominatio, aut prior desinat, debet adesse aliqua partis mutatio.

XXIV.

Sicut Ens essentialiter simplex fieri non potest nisi ex nihilo sui, ita perire haud potest nisi in nihilum abeat & annihiletur.

XXV.

Relatio generatim sumpta est ratio formalis, sive forma vi cujus unum refertur ad aliud. Dari ejusmodi relationes secluso omni actu Intellectus certum est. Jam relatio prædicamentalis non est adæquatè identificata cum fundamento, neq; cum complexo ex fundamento & ratione fundandi, neq; consistit in superaddito toti complexo ex fundamento termino & ratione fundandi sed consistit in sola adæquata ratione fundandi.

XXVI.

XXVI.

Substantia cum Schola Peripatetica rectè definiri potest, quòd sit Ens non exigens inesse alteri tanquam fini cui adæqatè à se distincto. Quæ si ita existat ut se suipsius propriam, ac alterius substantiæ inesse & operari non indigam reddat, suppositum dicitur, & si sit Substantia Intellectiva, Personæ vel Hypostasis nomen nanciscitur. Ut verò habeatur suppositum seu Ens subsistens creatum, nulla entitas absoluta positiva ad hoc requiritur, modò enim detur Substantia creata singularis completa & negatio unionis ejusdem Substantiæ cum alia digniore jam omne id habetur, quidquid ad rationem suppositi requiri potest ac debet.

XXVII.

Cum experientia nos doceat Substantias verè tales, utut in suo esse substantiali perseverent, nunc isto tamen modo se habere nunc alio. Certum cuiq; perspectumq; est dari aliquas determinationes sive habitudines substantiarum, quæ cum possint salva rei substantia abesse illas vocari accidentia.

XXVIII.

Accidens physicum & reale definiri potest, quòd sit Ens exigens inhærere alteri tanquam fini cui adæquatè à se distincto. Unde licet fieri naturaliter non possit ut accidentia existant sinè subjecto; quia tamen DEUS potest exigentiis rerum contravenire; possunt accidentia Divinitùs existere extra subjectum cui exigunt inhærere.

XXIX.

Possibilia itaq; sunt accidentia absoluta ut vel ipsa ratio videtur evincere. Imò attenta necessitudine admittendæ sensibilitatis in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, tùm etiam habita ratione definitionum, quas Concilia & SS. Patres circa remanentiam Specierum Eucharisticarum sinè subjecto tulerunt, actu dari accidentia absoluta fortiter asserimus.

XXX.

Unde explicatio Cartesii, Gassendi, Maignani, aliorumq;

quorumvis Recentiorum in elucidatione Specierum Eucharisticarum non est conformis Conciliis SS. Patribus, imò verò & ipsi rationi.

XXXI.

Essentia metaphysica sive ratio formalis corporis physici non est extensio in longum latum & profundum, neq; quantitas utpotè distincta realiter à corpore, neq; actualis impenetrabilitas, sed videtur in hoc consistere quòd sit substantia per se naturaliter impenetrabilis ab alia substantia sibi simili.

XXXII.

Infinitum Categorematicum creatum divisibile implicat. Possibile tamen est infinitum Syncathegorematicum.

Ex Ætiologia.

XXXIII.

Ætiologia Scientia generalis causarum est. Hanc Ontologiæ subjungunt nonnulli, & meritò; post notiones enim entis generatim spectari ejusq; proprietatum & affectionum nihil est magis generale notione causæ, quæ universè spectata est principium ex propria virtute determinans aliquid sibi insufficiens ad existendum. Dividitur autem ab Aristotele in efficientem finalem materialem & formalem.

XXXIX.

Cum possit futurum licet moraliter aut physicè dependeat ab effectu esse natura priùs & causa moralis respectu illius effectus, hinc possibilis est mutua naturæ prioritas inter duas causas morales, vel unam moralem & alteram physicam saltem respectu diversarum Voluntatum & pro diversis instantibus.

XXXV.

Quia verò nullum Ens physicè potest esse priùs seipso adeoq; nec seipsum causare quo ad primum esse, idcirco: mutua naturæ prioritas pro eodem instanti & quo ad primum esse inter causas physicas tam ejusdem quam diversæ classis implicat.

XXXVI.

XXXVI.

Fuit quorundam Antiquorum Sententia, quàm deinde Cartesius & Malebranchius ſuſcitavere contendentes: ſolùm DEUM veram eſse cauſam, reliquas verò quæ vulgò habentur, cauſas efficientes non eſse, niſi precarias & occaſionales. Aſt hanc ſententiam utpotè omni probabilitate deſtitutam rejicimus, dicentes dari cauſas creatas verè ac propriè efficientes & activas. Quæ ut agant requiritur applicatio ſaltem per contiguitatem hinc nunquam naturaliter agere poſſunt indiſtans.

XXXVII.

Artes in ſua opera influunt duntaxat directivè, quatenùs artificem dirigunt, ut mediante motu, aut activa applicet paſſivis aut corpora certo ſitu diſponat.

XXXVIII.

Ubi nec miraculi, nec naturæ vis, nec artificii ſolertia inveniuntur magicus effectus à Dibolo eſt.

XXXIX.

Cauſalitas finis in actu 1mo eſt bonitas ejus objectiva cognita, in actu verò ſecundo reſpectu effectuum indifferentium conſiſtit in complexo ex actione productiva effectus, & actu voluntatis imperante hanc actionem propter hunc finem, ac utriusq; coexiſtentia.

XL.

Materia & forma reſpectu compoſiti quod conſtituunt habent rationem cauſæ intrinſecæ. Si verò materia ſpectetur reſpectu formæ quæ educitur, habet ſe ut cauſa materialis extrinſeca & viciſſim forma reſpectu materiæ in qua recipitur habet rationem cauſæ formalis extrinſecæ.

Ad M. D. T. O. M. G. V. S. L. C. H. OO. SS. præcipuè S. P. A. & B. S. C. Cultum ac Venerationem.

Defendentur publicè in Canonia Sanctiſſimi Corporis Chriſti Caſimiriæ ad Cracoviam per Canonicos Regulares Lateraneſes Annô Domini 1777mô Diebûs Menſîs Novembrîs.